DE

RHEUMATISMO INFANTUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS DIESTERWEG,
GUESTPHALUS SIEGENENSIS.

OPPONENTIBUS:
E. A. SECKENDORF, J. U. D.
E. A. GROOS, MED. ET CHIR. DR.
F. WEINBRENNER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

F. A. DIESTERWEG,

A CONSILIIS IUSTITIAE REGIIS

NEC NON

AVUNCULO

CARISSIMO, SPECTATISSIMO

J. DIESTERWEG,

IURIDICO NASSOVIENSI.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Rheumatismus in regionibus moderate frigidis potissimum divexare solet homines; testibus Anglorum medicis *) in regionibus calidis, meridionalibus rarissimus observatur atque in regionibus frigidis septentrionalibus vix reperitur. Vere atque autumno frequentior est, ob multas subitas aeris mutationes, ob athmosphaeram aut humido frigidam aut humido calidam. Sexus uterque morbo oportunus est; homines sanguinolenti a pubertate usque ad annum quadragesimum quintum praesertim illi subjacent.

Focum proprium morbus habet in systemate fibroso aut musculari, saepius membranas quoque atque fascias tendinum, ligamentorum, vasorum, nervorum atque ossium invadit, prae caeteris articuli artuum atque membranae synoviales morbo conflictantur. —

*) Observations on the changes of the air and concomitant epidemical diseases in the Island of Barbados, by *William Hillary*. Lond. 1759.

Variae licet cujusvis aetatis medicorum observationes confirment, rheumatismo adultiores fere solum implicari, rarius senes atque vix aut nunquam infantes, manifestum tamen est, aetatem infantilem eo saepius laborare, quam vulgo creditur. Heberden *), medicus fere hippocraticus, sagaci atque accurata naturae notatione fultus narrat, se saepius observasse rheumatismum in pueris, haud dissimilem paralysi. Mihi quoque in Clinico medico, quod Halae floret duce celeberrimo Krukenbergio, rheumatismum acutum in infantibus, haud dissimilem paralysi, observandi oblata est occasio. Cujus morbi in descriptione, legibus ut satisfaciam, adjectis aliquot morbi historiolis, haec mea dissertatio versabitur. —

*) *Heberden* — Commentarii de morborum historia et curatione, recudi curavit S. Th. Soemmering. Francofurti ad Maenum 1804.

Descriptio morbi.

Morbus invadit tam pueros, quam puellas primis vitae annis; an infantes atrophia laborantes morbo prae caeteris obnoxii sint, licet infantes atrophicos morbo correptos pluries notaverim, certo affirmare non possum. Propriam atque singularem morbus semper prae se fert faciem, quae in eo sita est, quod articulos manuum pedumque occupare, sed solum superficiei dorsali articulorum, praecipue musculis extensoribus eorumque fasciis infestus esse consuevit, atque hoc modo statum quendam paralyticum artuum tum superiorum tum inferiorum vel omnium omnino, inducit. — Morbus semper stipatus est febricula, quae affectionem rheumaticam per aliquot dies praecedere solet. Incipit a jactatione, inquietudine, somno turbulento, interrupto, quae signa, ab exiguis orta initiis, sensim ad summum perveniunt. Infantes jactantes, lacrimantes, somnoque capto saepius expergiscuntur; ciborum appetitus prostratus est, bibendi cupiditas magna, alvus constipata, cutis ardens, siccissima; quandoque sudor per noctem copiosus, sed saepe sine levamine morbi

notatur. Tempore diurno febricula remittit, vespere autem simul cum jactatione, morositate exasperatur, tum omnia symptomata crescentia ad mediam noctem permanent, unde ad matutinum usque tempus decrescentia remittunt. Febriculam per diem biduumve praegressam, artuum rheumatica affectio sequi solet, quam semel nocturno tempore post febriculae exacerbationem subito exortam observavi. Qua exorta, febricula non evaneseit, sed eam comitans, respere semper simul cum toto statu morboso, exardescit. —

Manuum rheumatica affectio his manifestatur signis:

Manus inflexae, incurvatae, se movendi facultate paene omni privatae, simillimam paralyseos praebent imaginem; utraque manus, simul semper morbo correpta, dependet quasi ex articulo atque cum antibrachio rectum paene constituit angulum. Digiti quoque omnes in volam manus inflexi sunt, id quod ex musculorum flexorum contractione, quorum tendines tensas semper reperias, oriri videtur. Signum morbi proprium sed constantissimum atque pathognomonicum est, quod infantes, cubitis inflexis, lacertos ad thoracem adponere student, quo antibrachia, plumbeo pondere manuum degravata, se movendi et sustentandi facultate paene omni destituta, subnixa quiescant. Alia etiam dantur morbi signa, quae omittenda non sunt: primum locum obtinet dolor, qui semper magis minusve vehemens adesse solet. Quam habeat indolem, num lacerans,

pungens an pulsans, an constringens sit, ab infantibus certo dici non potest, doloris praesentiam vero lacrimatio et jactatio infantum, si artus premere aut extendere conatus sis, satis superque demonstrant. Continuus sed non semper ejusdem vehementiae esse videtur, nam aegros quietos, antibrachia situ in consueto ad thoracem tenentes, non valde cruciare videtur, respere autem atque in lecti calore semper acerbior fit. — Calor artuum plerumque non valde adauctus est, et cum dolore minime congruit, interdum vero, ad mota manu |partibus dolentibus sensatio caloris percipitur. Aliud signum, at non constans semper, est tumor; observatur praesertim in superficie dorsali articulorum manuumque, diffusus est et aequaliter extensus ex articulis ad extremos usque digitos; aliquoties artus dolentes omni tumore vacantes notavi. Tumore exorto, dolores fere nunquam evanescere solent, sed potius partes tumescentes erga tactum et motum sensibisiores fiunt. Cutis color plerumque non commutatur, si laevitatem quandam et splendorem excipias, quae ex tensione cutis gignuntur; cutis enim circumtensa est, ut si quis digitis apprehensam attrahere velit, ea minnime sequatur. Uno tantum in casu, recens exorto exiguo tumore, ruborem quendam cutis diffusum, rosei coloris, post breve vero tempus evanescentem observavi.

Signa rheumatismi in pedibus conspicua sunt haece. Pedibus, quamvis fere semper aliquo modo conflictati sint morbo, minus videtur rheumatismus

infestus, quam manibus. Se movendi facultate privatos quodammodo, vehementissime dolentes erga motum tactumque, atque tumescentes paululum, aliquoties vidi, incurvationem autem in articulis atque digitorum inflexionem in plantam pedis semel tantum observavi; genua nempe infantis vespere, febricula exacerbante, inflexa paulum atque pedes et digitos incurvatos esse animadvertebam, dum tumor exiguus exortus erat et dolor acerbior fiebat. Insignem Vari prae se ferebat morbus similitudinem et recenti solum ortu atque dolore vehementissimo, qui varum nunquam comitatur, ab eo distingui potuit.

Morbus per dies quinque aut novem plerumque perstat, tum febris sensim languescit atque rheumatismus resolvitur, nulla crisi observata, pristinaque sanitate redeunte. Semel in puero reconvalescente, largis sudoribus e cute effusis, miliariae eruptionem notavi, in collo pectore atque lacertis maxime conspicuam, quam autem non criticam sed symptomaticam potius fuisse puto, observari cum liceat, in febribus, largi si sudores effunduntur, miliariae efflorescentiam symptomaticam saepissime fieri. — Morbum acutum, plane neglectum, mala adhibita curandi ratione, chronicum fieri, aut morbum exstinctum paene, tamen redire atque in chronicum abire posse, experientia me docuit. Morbum chronicum manuum pedumque incurvationes perpetuae atque distorsiones sequi solent; membra redduntur imbecillia ac paene resoluta. Inflexione

perpetua digitorum in articulis, membranae capsulares, morbus longe si perstat saepiusque exacerbescit, magis minusve relaxantur, extenduntur; praecipue articuli digitorum primi inter phalangem primam et os metacarpi afficiuntur, eorumque membranae capsulares relaxatae ita extenduntur, ut phalanges primae ex articulis extensis contractione musculorum flexorum in ossa metacarpi eleventur, ibique pseudarthroses quodammodo sibi praeparent. Phalanges ex articulis elatae in dorso manuum tumores constituunt duros, rotundos; capita autem phalangum prominentium detrudi facile possunt, in articulos veros, sed cessante pressione statim prosiliunt, quo manifestum fit, distorsiones digitorum atque tumores non oriri ex degeneratione ossium.—

Diagnosis morbi.

Quamvis multa dantur morbi signa ad certam diagnosin stabiliendam, variae tamen artuum tam in infantibus quam in adultioribus occurrunt morborum species, quibuscum rheumatica haec artuum affectio majorem vel minorem habet similitudinem. Non multum igitur abhorrebit a proposito, si artuum morbos praecipuos, quantum in me est, cum rheumatica ista affectione comparabo. —

Primum de inflammatione verba faciam:

Inflammationes in manibus aut pedibus infantum rarissimae reperiuntur, propterea quod quam plu-

rimis in casibus, a causa extrinsecus oblata exsistere solent, et ortae unum vel alterum occupant artum, at non simul manus pedesque. Inflammatio manifestatur semper calore, tensione, mole, ac duritie aucta, dolore ut plurimum fixo, nunc pulsante, nunc pungente, ardente, colore nunc vivido, nunc profundius rubro, quae signa inflammationis constantissima, minime omnino reperies in rheumatica ista affectione; tum quoque invasio inflammationis, incrementum, decrementum atque exitus aliter se habent ac in rheumatismo, hic enim febriculam praecedentem subsequi solet, febre vero exstincta, resolvitur; inflammatio recens orta quam plurimis in casibus acerbior si fit, inducit febrem, resoluta autem ea, febris cessat. Inflammatio phlegmonosa in digitis manuum saepissime obvia, panaritium, in suppurationem aut gangraenam telae cellulosae abeundi magnum habet nisum, id quod in nostro morbo nunquam accidit. Multum quoque ad distinctionem confert, quod in inflammatione artus nunquam, licet aliquo modo immobiles sint, simul cum digitis incurvati redduntur. De his omnibus signis rheumatismum nostrum comitantibus, ex quibus distinctio inter utrumque morbum hauriri potest, jam supra dictum est, at repetendum est, omnia in omnibus non aequaliter reperiri, sed plura vel pauciora. —

Secundo loco ad Paedarthrocacen nos convertimus. — Malum infantibus scrofulosa cachexia laborantibus maxime infestum, frequentissimum apparet in manuum pedumque articulis. Etiamsi

quispiam hoc malum cum rheumatismo nostro non facile confundat, paucis tamen morbum attingere non ineptum videtur. Inflammatione lenta occultaque capita ossium laxa redduntur et spongiosa, caries existit centralis, partes vicinae carnosae inflammantur, tumescunt. Suppuratione facta, pus perrodit partes carnosas atque ulcus procreat fistulosum, laxum, marginibus contractis, aut callositate aut fungositate praeditum; pus effunditur malum, depravatum, foetidi odoris; specillum si immiseris os invenies implanum atque asperum. Vitium diuturnum, artuum digitorumque movendi vim magis minusve impedit, faustissimo in exitu usque ad pubertatem perdurat. —

Deinde transeamus ad varum:

Vitium primae confermationis, varus, non rarissime invenitur in Neonatis atque cum rheumatismo nostro majorem vel minorem fert similitudinem. In varo praevalenti musculorum flexorum contractione, languore vero et atonia musculorum extensorum, incurvatio pedis exsistit, quae his se praebet symptomatibus: margo internus pedis extollitur, externus deorsum vertitur, digitis inflexis, dorsum pedis convexum magis, planta autem concava redditur; calx erecta introrsumque versa, terram attingere non potest; caput astragali in dorso pedis prominens, tumorem durum, rotundum efficit; ambulatio aliquo modo impedita solum fit in margine externo. — Rheumatismus infantilis, acerbior si fit, ut semel vidi, similia in pedibus exhibet signa,

distingendus autem a varo est hisce: varus fere semper observatur congenitus, curatione non adhibita, nunquam sanatur, curatione accurata bene procedente, longe tamen perdurare potest; dolor tumor aut rubor in pedibus non adsunt; sed rheumatismus genitur, febricula per aliquot dies praecedente, doloribus acerrimis, cum tumore interdum, rarius cum rubore consociatus, vespere semper exacerbescens, curatione bona adhibita, causisque extrinsecus non oblatis, inter diem quintum aut nonum plerumque resolvitur. —

Quarto loco flectimur ad paralysin artuum, quae subsequi solet Colicam saturninam. —

Rheumatismo isti infantili maxima est similitudo cum paralysi exstremitatum, qua homines, qui diutius colica saturnina laboravere, saepius affliguntur. Morbi comutari non possunt, nam infantes colica saturnina laborantes non facile invenias; at si phaenomena paralyseos comparaveris cum iis nostri morbi, eorum indolem atque naturam haud dissimilem esse intelliges. Morbos igitur, quod pertinet ad eorum symptomata atque indolem, comparare, licet propositum non sit hoc loco, non alienum puto. Si colica saturnina per longum tempus duraverit, multasque accessiones fecerit, tumores oriuntur, parvi, mobiles, molles atque tumidi praesertim in dorso manuum; paulo post duri et immobiles evadunt, crescendo caelescunt cum partibus vicinis, pone tendines musculorum jacent,

quibuscum arctius cohaerere videntur. Tumores molles atque mobiles ex fasciarum musculorum extensione, duros autem et immobiles ex amplificatione ossium metacarpi procreari dicit 1) Pemberton. Eodem vero tempore quo tumores exsistunt, aegroti artuum dedolationem quandam aut sensationem formicarum reptantium praesertim in manibus percipiunt, quae signa, morbo protracto, artuum vel inferiorum vel omnium omnino se movendi difficultas subsequitur, licet sensus permaneat. In manibus paralysis haec persimilis est rheumatismo nostro; manus enim plumbeo pondere in articulis degravatae dependent et rectum cum antibrachio constituunt angulum, digiti vero liberi magis et recti dependent, cum contra in rheumatismo inflexi sint in volam manus. Membra paralytica in colica saturnina non ferendis fere cruciantur doloribus, ardentibus, pungentibus, dilaniantibus et ad mortem usque ictus arteriarum in membris resolutis notantur duri, validi, vibrantes, etsi musculi jam tabuerint, totumque membrum atrophia correptum sit. Membra superiora, paralysi frequentius affligi solent, quam inferiora, et in his manus vel utraque, vel altera solum. Causa paralyseos, inducta perniciosa plumbi vi, in languore atque atonia musculorum jacere videtur. Extensores potissimum correptos atque debiles esse putat Pem-

---

1) Pemberton, praktische Abhandlung über verschiedene Krankheiten der Abdominaleingeweide.

berton, quocirca laminam excogitavit ligneam, quam antibrachio ad extremos usque digitos adposuit, ut ea quiescentes musculi pristinam recuperarent movendi facultatem. Rem sic se habere, eventus prosper docuit. In rheumatismo nostro similis paralysis musculis extensoribus inesse videtur; sicut enim cujusvis organi functio, in statu inflammatorio aut rheumatico, aliquo modo laeditur, ita musculi quoque extensores, prae caeteris morbo conflictati, movendi vi paene omni sunt orbati, quo fit ut manus dependeant atque articulos gravet earum pondus simili modo, ac in paralysi saturnina. — In eo igitur morbi conveniunt, quod musculi extensores paralysi quadam correpti sunt, etsi natura atque indoles paralyseos longe sit diversa, in eo autem differunt, quod in paralysi saturnina omnes artuum musculi tam extensores quam flexores paralysi sunt correpti, cum ex altera parte in rheumatismo nostro musculi flexores non modo non paralytici sint, sed potius in contractione spastica permaneant, quod ex digitis in volam manus inflexis intelligi potest. —

Denique de podagra atque chiragra paucis loquamur.

Rheumaticam artuum affectionem nostram, si in chronicum abierit morbum, digitosque distortos, membranas capsulares relaxatas, extensas si reliquerit per totam vitam perstantes, fortasse quispiam, praecipue, ut interdum fit, exasperatis doloribus rheumaticis, confundere possit cum podagrae aut chiragrae accessionibus. De his igitur breviter dicam.

Podagra dolorosus ille articulorum morbus, arthritidis socius consuetus, invadit senes aut homines in aetate florente versantes, rarius juniores, infantes autem nunquam; aegroti nisi dispositione haereditaria sunt praediti, in illa aetate, delicatius molliusque vixere, otio, crapulis, veneri, vino aliisque spirituosis uberius indulsere. Podagrae accessionem per aliquot dies praecedere solent, topor artuum, dolores vagi, febricula, palpitatio cordis, pulsus acceleratus, frequens, ciborum fastidium, ructus, urina crassa, mucilaginosa, acidi odoris, suppressaque cutis perspiratio. — Omnia haec symptomata subito remittunt atque aegrotus bene se habet, at circa medaim noctem morbi insultus prodit, et manifestatur dolore acerrimo pollicem pedis ut plurimum, quandoque vero calcaneum occupante, paulo post rigor et horror subsequuntur, qui deinceps sensim remittunt; dolor crescendo ad matutinum usque tempus acerbior fit et per tres dies subsequentes locum affectum vehementissime affligit, praesertim vespere, lenitur tamen ad mediam noctem. Elapsis paucis diebus pes socius eodem modo corripitur. Pedes manusque nunquam simul afficiuntur manusque rarius quam pedes. — Paroxysmi symptomatibus fere omnibus fugatis, saepissime redit morbus, decursuque peracto, iterum evanescit, ita ut aegrotus nihil aliud quidquam praeter liviorem articuli imbecillitatem movendique difficultatem sentiat. Postea vero, saepius si redierunt morbi insultus, digiti artuum contorquentur, resolvantur motuque

privantur, existunt tumores duri in exteriori articulorum superficie, rarius iis ipsis insidentes. Tumores cutem perrodunt atque nudati in lucem veniunt, cretae cancrorumque lapidibus haud dissimiles. Nunquam autem post podagrae aut chiragrae accessiones iteratas, digitos eo modo incurvatos, distortos ac in rheumatismo nostro conspicias. Iste enim in infantibus cum febricula, quam subsequitur, consociatus est, artuum digitorumque incurvatione atque immobilitate, doloribusque acerrimis, si partes premere aut extendere tentaveris, manifestatur. Sed dolores neque unius digiti uno haerent in loco neque subito oriuntur circa mediam noctem, e contrario membrum totum occupantes lente magis exardescunt, febricula exacerbescente augentur, crescunt ad mediam noctem, remittunt ad matutinum tempus, nunquam autem plane evanescunt. Tum tumor nominandus est, licet interdum non adsit, exiguus ex articulis ad extremos usque digitos aequaliter extensus, laevitate semper atque splendore cutis, rarius rubore praeditus. — Morbo protacto distorsiones artuum resolutorum potissimum digitorum nascuntur, phalanges nempe digitorum primae, relaxatis extensisque articulis, in ossa metacarpi efferuntur, ibique pseudarthroses sibi constituunt. Haec ad utriusque morbi distinctionem sufficiant. —

Causae morbi.

Quamvis tam copiosa et ingentia speculationum volumina a medicis omnium temporum congesta fuerint de rheumatismi natura atque causa proxima, quamvis periodos morbi per leges naturae ei inditas naturales et constantes, quamvis propria et ei soli familiaria symptomata, proprios pariter invasionis, augmenti et declinationis modos, satis notaverint scriptores, parum tamen lucis ad nostra usque tempora naturae atque causae proximae rheumatismi est allatum. — Veteres medici cum diu frustra insudarent in cognoscenda rheumatismi causa proxima atque determinanda natura, modo ex humorum acrium in vasibus sanguiferis stagnatione, qua nervorum irritatio poneretur, modo ex contractione spastica vasorum exhalantium atque vasorum capillarium, qua stagnatio humorum et irritatio nervorum exorietur, deducebant rheumatismum. Qua spastica affectione, si fines vasorum corriperet, sanguinis stagnationem completam exoriri, quam inflammatio semper sequeretur. Ex sensibilitate adaucta illam spasticam affectionem progigni putabant, unde eveniret, ut homines sensibiles, debiles, mulieres prae caeteris doloribus rheumaticis essent obnoxii, minus vero viri atque homines virium robore insignes. Alii ad rheumatismi indolem indagandam, morbosam quan-

dam et depravatam statuebant materiem, totum corpus pervagantem, ex pressione et irritatione nervorum, spasmos atque dolores rheumaticos inducentem. Quam materiem morbosam ex laesa functione cutis ut plurimum evadere, quocirca rheumatismi post perfrictiones frequentissime observarentur. Functionem cutis vero laedi posse, humorum stagnantium pravitate, crassitudine, spissitudine, id quod ex eo eluceret, quod homines vitam otiosam degentes saepe rheumatismo conflictarentur. Novissimis temporibus medici modo unam vel alteram veterum sententiam denuo revocarunt, modo alias novasque statuerunt sententias. Alii in sensibilitate alienata et magna differentia principii electrici rheumatismi indolem se invenisse, alii sensum communem in systemate fibroso et musculari perturbatum esse in rheumatismo crediderunt; alii obsoletam inprimis renovarunt opinionem, rheumatismum procreari ex retenta materie, in membranis fibrosis deposita, quam vocarunt scoram. Dignissima quae accipiatur sententia de rheumatismi causa proxima, a celeberrimis hujus temporis comprobata medicis, id intendit, ut affectionem quandam inflammatoriam agnoscamus, laesa functione cutis ut plurimum allatam. Sicut enim post perfrictiones alibi in corpore inflammationes exardescunt, sicut verbi causa, membranae mucosae post perfrictiones inflammatione corripiuntur catarrhali, ita systema quoque fibrosum atque musculare post cutis functionem laesam inflammatione i. e. me judice, rheumatismo affligi

potest. — Dicta ad rheumatismum infantilem quoque referenda esse puto. —

Causae occasionales morbi sunt, quaecunque cutis functionem laesam reddere possunt. Inter illos primum locum obtinent perfrictiones, cuti consudascenti valde noxiae. Peculiare etiam aëris vitium ad rheumatismum generandum idoneum ineunte vere et autumno reperitur; humida enim frigidaque aëris temperies, cutis transpirationi infesta est maxime, quod praecipue accidit in subitis aëris mutationibus, quando scilicet constitutio austrina calida et humida subito in aquiloniam frigidam et siccam convertitur, vel quando aliquis e loco calido egrediens, aëri frigido subito se exponit. —

Quod pertinet ad causas disponentes, nil certi indagari potest; id vero constat, homines semel rheumatismo correptos, iterum facile corripi. Quo saepius rediit morbus, eo magis in eum proclives fieri solent homines. —

Disquirere nunc restat, quid sit, cur rheumatismus infantilis manibus pedibusque potissimum infestus sit, disquirere porro, quaenam artuum partes morbum foveant, quomodo artuum exorientur incurvationes, morbi socii perpetui. Quaestionem priorem non facile quispiam explicare possit; quis enim erit in medicis, modesti judicii, quin fateatur, se propemodum ignorare, cur singulares corporis partes morbis singularibus, peculiaribus sint opportunae. — Quaestio altera clarior ut reddatur, morbi

*B

phaenomena sedulo considerentur, necesse est. Manus inflexae, incurvatae, immobiles, tactu motuque dolentes, digiti in volam manus inflexi, morbi signa pathognomonica et maxime conspicua, musculorum movendi facultatem aliquo modo perturbatam esse demonstrant. Quae signa, si rheumatismus articulos solos affecisset, non manifestarentur, unde igitur cognoscitur, morbi sedem, non in articulis solum, sed etiam in musculis ipsis esse quaerendam. Quae quidem omnia licet aliquo modo verisimilia esse videantur, adhuc tamen difficilis nodus restat solvendus, quo pacto scilicet rheumatismus, in musculis potissimum haerens, manus incurvatas, digitosque inflexos, immobiles, reddere possit. Ut rem contrahamus, sciendum est, inesse musculis continuum nisum ad contractionem, ob quem musculi sponte sua perpetuo moverentur, nisi antagonistae contrarii vim exercerent atque aequilibrarent. Continuus hic ad contractionem nisus, quando non a musculo alicujus partis antagonitsa sive contrapondio impeditur, statim se offert, quod observare licet in casu nostro; nam probabile videtur, atque ex supra dictis elucet, musculos extensores antibrachii eorumque fascias, rheumatismo potissimum correptos hoc nisu ad contractionem orbatos esse; musculos igitur flexores, validiores jam antea, ab antagonistis non amplius impeditos, contrahi, manusque incurvatas et digitos inflexos reddi debere, evidenter patet. —

Prognosis morbi.

Prognosis faustissima in genere institui potest, simplex hic rheumatismus infantilis, quia, bona adhibita curatione, causisque nocentibus non oblatis, diuturnus non est, inter diem sextum aut nonum plerumque resolvitur, periculoque vacat in alios graviores abeundi morbos, vitae periculum fere nunquam infert. Ad prognosin bonam instituendam inprimis confert, quod fugax nunquam est, qualis in adultis saepissime notatur, atque facultate sedem mutandi visceraque interna nobiliora corripiendi, carere videtur. Neque enim ex manibus pedibusque in alĭam partem externam, neque in viscera interna eum transiisse observavi, quum quotidiona experientia doceat, rheumatismum in adultioribus, praecipue febrilem, sede mutata ex alia in aliam partem externam aut internam potissimum in pleuram, pericardium, cerebrum, transilire, ibi inflammatione inducta, aegros de medio saepissime tollere. In infantibus antea sanis, plerumque tam mitis est noster morbus ut post breve tempus evanescat, parva tantum artuum debilitate et immobilitate relicta. Si tamen nimius negligatur et altas radices agere ei permittatur, aut si, causis extrinsecus oblatis, saepius exacerbetur, prognosis minus fausta est; pertinacissimus esse plerumque consuevit, saepe totum vitae decursum perseverat, quamquam interdum

evanescit, postea tamen recrudescit, omniaque symptomata acerbiora redintegrantur. Quae morbi accessiones, nullis certis spatiis interpositis revertentes, artuum debilitatem atque resolutionem affe-runt, membranas capsulares reddunt relaxatas, extensas, manus atque pedes incurvatos, digitosque inflexos, distortos, ita ut saepius prorsus fiant inutiles et morbus curatu difficillimus sit, eoque difficilior, quo magis est inveteratus.

Curatio morbi.

Detecto fonte diagnostico, morbi remedia indicationesque curativae facile manifestantur.

Primum causae morbi occasionales eliminandae sunt; quaecunque morbum graviorem reddere, remittentem excitare aut resolutum reducere possint, averti debent. Cui indicationi ut satisfaciamus, necesse est, provideamus potissimum, ne infantes aegri perfrigescant neve aliis causis oblatis, augeatur morbi vis; arcendus igitur est frigidior aer, cavendumque, ne aegri subito e lecto eximantur, praesertim sudoribus e cute manantibus. Quae propulsatio causarum nocentium maximi est momenti, suppeditatque quam plurimum ad morbum ipsum propulsandum. —

Indicatio secunda versari debet in curatione morbi ipsius, quae pro varietate complicationum, pro febriculae vehementia atque morbi vi, varie

instituenda est. Omnibus in casibus mihi oblatis, prospero cum eventu medendi methodo usus sum hacce: Regimine accurato adhibito, diaeta liquida tepidaque praescripta, remedia prae caeteris extrinsecus administranda curavi lenia partibus rheumatismo correptis, quae tum causas averterent nocentes, tum cutis sudorem elicerent atque solverent dolores, ne forte rheumatismus in inflammationes molestas vel etiam periculosas transmutaretur. In hanc finem aquae calidae vapores, praesertim vero suffitus ex juniperi baccis aut involutiones artuum laneis integumentis fumo baccarum juniperi imbutis, faustissimo cum eventu adhibui. Morbus plerumque tam mitis erat, ut remedia interna, adhibita ista medendi methodo, non desideraret atque post breve tempus plane resolutus esset. Sin vero morbus acerbior sit, adhibitaque hac curandi methedo, non resolvatur, remedia quoque interna cum utilitate adhiberi possunt, prae caeteris ea, quae cutis transpirationem adaugeant, alvumque leniter moveant. Reconvalescentiae curatio exposcit tantum nocentium continuam propulsationem atque regimen accuratum. —

Morbus autem, si in chronicum abiit, curatu perdifficilis est, quo saepius rediit, eo difficilior; curatio versari debet in causis morbum reducentibus detegendis amovendisque, in depellenda in morbum proclivitate. In adultioribus administrari possunt locis affectis, emplastrum cantharidum ordinarium vel perpetuum, cucurbitae, quae saepe solvunt

dolores rheumaticos inveteratos; prodesse quoque possunt, linimenta volatilia et saponacea partibus dolentibus infricta; interna dari possunt remedia sudorem cutis moventia. —

De artubus incurvatis, resolutis, digitisque inflexis distortisque sanandis jam desperaverim atque sine ulla dubitatione affirmaverim, curationem hanc unam esse omnium difficillimam. —

Morbi historia prima.

Augustus B. annos duos et menses quatuor natus, jam ex quo natus erat firma valetudine non semper fruebatur atque secundum annales Policlinici Halensis saepius intestinonrum blennorrhoea laborabat. Facies rugosa, paene senilis, lividus cutis color, abdomen inflatum, turgidum, musculi recti abdominis, ut fascia, longe prominentes, macies extremitatum, cutisque laxa, rugosa, puerulum atrophia, ex nimio gravique pastu, ut verisimile erat, atque immunditie inducta, laborare satis ostenderunt.

Vespertino tempore diei III. Nov. 1829. puer per multas hebdomadas antea sanus, jactari, lacrimari coepit, nihil quietis potuit capere, expergiscebatur saepissime e somno, cibos solitos assumere recusabat, aquam vero oppositam sitiens avidusque hauriebat. Tota nocte paene pervigilata, ad matutinum tempus puer paululum consudascebat, so-

mnumque capiebat. Mater paulo post, puero somno expergefacto, jentaculum proponens animadvertebat, eum, manibus, digitisque incurvatis, cibos capere non posse appositos; ambulandi quoque facultate privatus, collabebatur puer in terram et doloribus acerrimis se cruciari lacrimando significabat.

Die IV. mens. Nov. mater in policlinico petivit auxilium; —

Status morbi tunc temporis praesens:

Puer jactabatur, lacrimabatur multum, omnibus membris calor adauctus inerat, ciborum consuetorum appetitus prostratus, sitis magna alvus atque urinae secretio non impedita, cutis sicca erat. Utraque manus dependens ex articulo, incurvata, cum antibrachio rectum fere constituebat angulum; omnes digiti in volum manus aequaliter inflexi erant; lacertos thoraci acclinare puer semper studebat, manus movere, supinare aut pronare nullo modo potuit. Tumor exiguus, aequalis, in dorso manuum conspicuus erat, ex articulis ad extremos usque digitos extensus, rubore exiguo, rosei coloris, praeditus; cutis circumtensa atque laevis erat; dolores vehementes indicabat puer, si manus aut digitos flectere vel premere tentaveris. Etsi pedes doloribus viderentur cruciari, si ambulare puer cogeretur, aut si pedes premere et extendere conatus esses, omni non modo incurvatione sed quoque tumore vacabant.

Morbum rheumatismo infantili adnumerandum esse, manifestum erat, invasio enim morbi, febricula

praegressa, augmentum atque symptomata pathognomonica, constantissima, in dubio non amplius reliquere, quin diagnosis esset certissima. Prognosis quamvis puer atrophia laboraret, fausta institui potuit, quod pertinebat ad morbum, de quo agitur, nam sperandum erat, fore, ut morbus recens, bona, accurataque adhibita medendi ratione, post breve tempus resolveretur. —

In curatione igitur constituebatur, ut parentes caverent, ne puer perfrigesceret neve aliis causis nocentibus exponeretur, praescribebatur diaeta liquida, tepidaque, regimen accuratum, atque suffitus ex Juniperi baccis, qui vicissim cum artuum involutionibus laneis integumentis, fumo baccarum juniperi imbutis adhiberentur. Status morbi die V. Nov. Vesperascente die antecedente, omnia symptomata acerbiora redintegrabantur, febricula exacerbescente, manibus pedibusque sensibilioribus redditis. Somno per noctem aliquantum capto, puer ad tempus matutinum consudascebat, magno, ut videbatur, cum morbi levamine, ita ut per diem jam in melius pueri valetudo inclinata esse videretur; hesterni diei medendi methodus continuabatur. —

Morbi status die VI. Nov. Vespere febricula exasperabatur iterum, licet manuum digitorumque inflexio evanescere jam coepisset; quae cum per noctem perseverasset matutino tempore remittebat atque sudorem movebat largum. Nunc vesiculae parvae, rotundae, confertae, lympha pellucida repletae, circa pectus, humeros atque lacertos, efflo-

rescebant, quas ad Miliaria referendas esse, at non criticae sed potius symptomaticae originis fuisse credo. In curatione, valetudo cum jam in melius inclinaret, nihil mutabatur. —

A die VII—XII mens. Nov. continuata praecepta medendi ratione, morbus, febricula fracta, sensim sensimque evanescebat, ita ut puer manus digitosque movere atque iterum ambulare posset. —

Morbi historia secunda.

Sophia W. duos annos et menses quinque nata, puella debilis, incipiente atrophia laborans, vespere diei XI. mens. Januarii 1830. jactari, multumque lacrimari coepit, per noctem saepe somnus interpellabatur, omnibus membris calor inerat adauctus, ciborum appetitus prostratus, bibendi autem cupiditas magna erat, alvus adstricta paulum, cutis sicca. — Die XIII. Januarii, febricula per duos dies paregressa, parentes puellas manus quodammodo incurvatas earumque digitos in volam manus inflexos, atque puellam ambulandi facultate orbatam esse animadvertebant, atque in policlinico auxilium petebant. Status morbi praesens: Puella febricitabat, utraque manus incurvata erat, ex articulo dependere videbatur, ita ut vola manus cum antibrachio rectum fere constitueret angulum; digiti in volam manus inflexi erant. Morbi signum proprium atque comes perpetuus, hoc in casu quoque

observare licebat, puella antibrachia in cubitis inflexa simul cum lacertis ad thoracem adponere studebat. In superficie dorsali tumor exiguus, aequaliter extensus, vix observandus, cutis calor non valde adauctus erat, colore, si laevitatem cutis ex tensione exortam exciperes, non commutato; ex lacrimatione, artus dolere vehementissime, si premerentur aut flecterentur, cognosci potuit,

Pedes minus quam manus morbo conflictati erant; quanquam puella ambulare non potuit atque doloribus cruciari videbatur acerrimis, praeter exiguum tumorem, nihil in pedibus erat conspicuum. Diagnosis morbi dubia esse non potuit. Signis rheumatismi infantilis, certissimis atque pathognomicis elucentibus; prognosis faustissima institui potuit, cum experientia nobis constaret, morbum, licet aegroto infirmus corporis habitus contigerit, facillimum in genere esse curatu. Ad morbum igitur propulsandum, regimen occuratum, diaeta liquida tepidaque suffiitus soliti ex juniperi baccis vicissim involutiones artuum integumentis laneis fumo baccarum juniperi imbutis, adhibebantur; alvus cum paulum constipata esset, laxans e calomelano atque pulvere radicis Jalappae tostae constitutum praescribebatur. —

Status morbi die XIV. Jan. Vespere diei antecedentis, febricula exasperante, symptomata morbi acerbiora fiebant; pedum in articulis incurvationem eorumque digitorum in plantam inflexionem nunc notavi, ita ut pedes vari speciem simillimam prae

se ferrent. Ad matutinum autem tempus evanuerat iterum haec pedum incurvatio, manente solum dolore et immobilitate; in manibus inflexio adhuc perstabat; medendi ratio praescripta continuabatur.
- Status morbi die XV. Jan. Die vesperascente omnia symptomata morbi augebantur — ad matutinum vero tempus magno cum morbi levamine sudor copiosus exoriebatur atque puella bene se habebat. —

A die XVI — XIX. Jan. morbus sensim sensimque remittebat, ita ut die XX. Jan. manus pedesque incurvatione atque dolore plane liberati moveri et flecti possent, monente tantum exigua debilitate, et puella e morbo recreata esset. —

Morbi historia tertia.

Guilelmus N. viginti quatuor annos natus, mercenarius, propter manuum pedumque distorsiones me consulturus, morbum, ex quo distorsiones istae exortae essent, his fere enarravit verbis: In prima pueritia, febricula atque jactatione per aliquot dies praegressis, manum pedumque incurvatione et immobilitate valde dolorosa se correptum fuisse; morbo per aliquot tempus sic perseverante, parentibusque jam defunctis, se puerum non modo medico curandum non traditum, sed potius plane neglectum fuisse; qua factum esse morbi diuturnitate atque mala tractatione, ut manus et pedes curatione ca-

rerent, atque per subsequentes annos, morbus cum saepius rediret, malum acerbius fieret.

Manuum distorsio his manifesta erat signis:

Manus imbecilles, resolutae, in articulis paulum incurvatae erant; musculorum flexorum tendines tensae et breviores videbantur redditae, digiti in volam manus erant inflexi, primae digitorum phalanges ex articulis cum ossibus metacarpi egressae, tumores, duros rotundos in dorso manuum formabant. Membranae capsulares relaxatae et extensae erant, quo scilicet factum erat, ut phalanges digitorum diuturna musculorum flexorum contractione ex articulis in ossa metacarpi elatae, ibi pseudarthroses sibi constituissent, ex quibus, pressione in tumores simulque extensione digitorum factis, in articulos veros facile detrudi potuerunt; cessante autem pressione, statim tumores prosiliebant. Ob manuum distorsionem, maciem atque resolutionem aeger pauca tantum negotia obire potuit.

Pedes simili modo morbo implicati erant atque similem vari praebebant imaginem. Aegrotus baculo innixus incedere solebat in margine pedis externo; digitis in plantam pedes paulum inflexis, dorsum pedis convexum magis et planta concava conspiciebatur; calx erecta, introrsumque versa, terram vix attingere potuit; ossa tarsi dislocata videbantur, ita ut caput astragali in dorso pedis prominens, tumorem durum, rotundum formaret; phalanges quoque primae digitorum simili modo ac in manibus in pseudarthrosibus supra ossa metatarsi stabant.

Caeterum aeger integer atque sanus, doloribus omnibus omino in manibus pedibusque vacuus, imbicillitatem et resolutionem artuum querebatur; interdum, saepius post perfrictiones, morbum reviviscere dicebat, eodem tempore doloribus non ferendis fere se cruciari, morbi accessionem autem, posquam per aliquot dies duraverit, evanescere ite-

rum, relicta semper majori artuum distorsione atque resolutione.

Prognosis infaustissima hoc in casu statuenda erat, praesertim cum aeger mercenarius, curationem diuturnam et accuratam obire non posset.

Vita
ex decreto
gratiosi medicorum ordinis Berolinensis adjecta.

Ego Guilelmus Diesterweg, confessioni evangelicae addictus, natus sum Heiligenbachiae, anno hujus saeculi septimo, die vigesimo octavo mensis octobris, patre, quem vivum adhuc veneror, Friderico Adolpho Diesterweg, matre vero, quam hoc anno defunctam lugeo, Ludovica Eleonora ex stirpe Seel.

Primis literarum elementis instructus, decimo quarto aetatis anno in Paedagogium Siegenense me contuli; anno praeterlapso, Gymnasium, quod Wetzlariae floret, adii; ibi duos annos moratus petii Gymnasium Susatense, ubi per annum literis studui, ut hujus saeculi anno vigesimo sexto tempore paschali, examine abiturientium superato, cum testimonio maturitatis dimitterer. Sic praeparatus ad rei medicae studium ineundum in academia Borussica Rhenana a Rectore magnifico Hasse numero civium academicorum adscriptus et a Cl. Meyer, tunc temporis facultatis medicae Decano, in album receptus, per semestria quatuor lectiones celeberrimorum virorum frequentavi hasce:

Cl. van Calker de logica atque Psychologia. Cl. Nees ab Esenbeck sen. de botanice generali, Cl. de Münchow de physice experimentali, Cl. Bischoff de Chemia experimentali, Cl. Nees ab Esenbeck jun. de botanice pharmaceutica, Cl. Noeggerath de mineralogia. Cl. Weber ostologiam et anatomiam generalem, Cl. Mayer anatomiam hominis specialem demonstravit, Cl. Windischmann encyclopaediam et methodologiam artis medicae, Cl. Müller Physiologiam hominis specialem me docuerunt. In cadaveribus secandis Cl. Weber et Cl. Mayer

mihi praeceptores fuere. Pathologiam et Pharmacologiam Cl. Harless, Pathologiam, therapiamque generalem et specialem Cl. Nasse mihi explicuit. Lectiones Cl. a Walther de chirurgia et akiurgia, de ossium fracturis et luxationibus, de arte fascias applicandi et de oculi morbis frequentavi.

Anno hujus saeculi vicesimo octavo tempore paschali in domum paternum reversus ibique per semestre moratus sum. Autumno anni vigesimi ostavi hujus saeculi universitatem Halensem adii, ibique a Cl. t. t. prorectore Mühlenbruch, in numerum civium academicorum receptus atque a Cl. Meckel facultatis medicae Decano in album inscriptus per semestria tria lectionibus interfui his: anatomiam hominis specialem atque pathologicam a Cl. Meckel, Zoologiam a Cl. Nitsch audivi; Pathologiam et Therapiam specialem Cl. Krukenberg, theoriam artis obstetriciae Cl. Niemeyer me docuit. Cl. Krukenberg scholis clinicis per annum, Cl. Niemeyer de arte obstetricia practica per semestre atque Cl. Dr. Blasius scholis clinicis ophthalmico-chirurgicis interfui. Tunc hujus anni tempore paschali in universitatem Berolinensem profectus sum atque numero vivium academicorum a Cl. Hegel, rectore magnifico et a Cl. Wagner h. a. Decano in gratiosi ordinis medicorum album receptus sum; hic frequentavi scholas chirurgicas Cl. Rust atque cholas obstetricias Cl. Busch. —

Tentamine philosophico medicoque nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis spero, fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicinae atque chirurgia honores mihi concedantur.

Theses defendendae.

I. Tumor albus et gonarthrocace maxime inter se differunt, quod pertinet ad originem.

II. Ad hydrocelen sanandam operatio incisionis caeteris praeferenda est.

III. Causa icteri non semper in hepatis morbo quaerenda est. —

IV. Animus in somno nunquam nòn agens est.